



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. II. Quæ materia Eucharistiæ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

DUBIUM II.

Qua materia Eucharistia?

Nota; Sicut in aliis Sacramentis est duplex materia, proxima & remota; ita etiam hic, sed ordine inverso: nam in aliis, materia remota est res permanens, proxima verò ejus usus, qui transit; hic verò remota transit, & proxima manet, scilicet species panis & vini. Quæritur ergò tantum de remota, illa scilicet, quæ facta consecratione, transit in corpus & sanguinem Christi.

Resp. Materia Eucharistiæ est tantum panis & vinum. Est de fide, & probatur ex institutione Christi, *Matth. 26. & Luc. 22.* Et quidem utraque materia, panis & vinum, est ita necessaria ad hoc Sacramentum conficiendum, ut per se nunquam licitè possit una consecrari absque alia: quod patet tum ex facto Christi *22 Luc.* tum ex *Trident. sess.* Unde resolves.

I. Consecratio utriusque speciei, est juris divini, quia ratio sacrificii, sine quo non fit, exigit utramque.

II. Non licet alteram tantum speciem consecrare, in necessitate etiam gravi, v. gr. ut moribundo detur viaticum, *Suar. & commun.*

III. Nec Pontifex in eo potest dispensare ullo casu. Ita commun. *Suar. 3. p. d. 55. f. 4. & c.* contra quosdam.

Dixi I. *Per se*: quia per accidens, & præter intentionem quasi, aliquando unam posse solam consecrari absque peccato, docet *Tan. d. 5. q. 2. dub. 5. n.*

27. diciturque esse communem, v. g. in his tabulis. 1. Si quis aquam, vel alium liquorem pro vino consecrasset, neq; defectum intelligeret, nondiu post; aut postquam advertisset, non posset haberi aliud vinum; vel quamvis haberet, non posset tamen illo uti, sine gravi scandalo, vel vitæ periculo. 2. Si post consecratam hostiam, subteritum mortis periculum ab hostibus, vel incendium imminere, secluso tamen scandalo & contemptu dei, *Regin. l. 29. cap. 4.* 3. Si Sacerdos hostia consecrata moriatur, vel animo deficiens, loquelam perdat, vel in amentiam incidat, nec sit alius, qui possit sacrificium perficere, *Suar. Vasq. &c.* Si autem alius supplere, & Sacerdos infirmus communionem suscipere potest, debet hostia dividenda, eique pars dari. *Tambur. de exped. sacrific. s. 8.*

Dixi II. *Licitè*: quia validè alterutram tantum consecrari, est certum: ut patet tum ex factò Christi, qui panem ante consecravit; tum ex praxi Ecclesiæ, quæ corpus ante sanguinem proponit adorandum.

DUBIUM III.

Qualis debeat esse panis in materia Eucharistia?

Resp. I. Solus panis triticeus, in conviviis communiter usitatus, qualis morali hominum iudicio tantum censetur ille, qui ex farina triticea, & aqua naturali mixtus, & igne tostus, sive assus, atque in sua